



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XII. Ab itinere Hierosolymitano potest quis absolui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

appellationem prorupit, & appellationi suæ terminum, proximum festum beati Lucae præfixit. Quoniam igitur indignum est, per eius vel aliorum subterfugia, præscriptam ecclesiam debitis obsequiis defraudari, cum ipse frustratoriae dilationis causa appellasse videatur: fraternitati tuæ per A. S. mandamus, quatenus præfatum Rog. diligenter & studiose commoneas, vt in eadem ecclesia debitam, omni mora postposita, faciat residentiam, vel infra proximum festum beati Lucae appellationem suam profecturus, ad nos veniendi iter arripiat. Interim vero alicui honestæ personæ vices eius in ecclesia prætaxata exequendas committas: & tantum ei de beneficiis illius, appellatione cessante, assignes, vnde possit congrue sustentari. Quod si prælibatus Rog. alterum istorum adimplere neglexerit, tu eum extunc præbenda sua, omni appellatione & contradictione cessante, priues: & eam alicui viro discreto & honesto, nullius appellatione admissa, concedas pariter & assignes.

CAP. XII. *Idem Tornacensi episcopo, in eodem libro.*

Veniens ad nos mulier latrrix præsentium, lacrymabili nobis confessione monstravit, quod cum de quodam filium genuisset, & ille sibi turgido sæpe vultu improperasset, quod filius eius non esset, ipsa iracundiæ calore & furore animi ducta, eundem filium interfecit. Quo comperto, comes Flandrensis eam totam terram suam vsque ad septennium abiurare coegit, nisi de nostra licentia * remaneret. Cumque se nostro conspectui præsentasset, & quod crucem suscepisset, Hierosolymam se profecturam monstrasset, nos videntes quod in partibus illis præsentia illius non potest esse utilis, sed damnosa, eam ab Hierosolymitano itinere reuocantes, ipsam fraternitati tuæ duximus remittendam, præsentium auctoritate mandantes, quatenus prædictam mulierem labores inducere, vt in aliquod monasterium tui episcopatus transeat, & ibi peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si autem repugnante carnis fragilitate, ad hoc induci noluerit, ei licentiam nubendi in Domino tribuas: quia tutius nobis videtur vt in Domino nubat, & vni soli quam multis adhæreat.

* f. remaneret.